



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

60 Ebrius non praemissa digestionem celebrans, est beneficio privandus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

gravibus viris sub nomine Cardinalium, præsertim Cardinalis Guastavilliani ipsius Gregorij nepotis scriberet; ac illis fretus, pluribus in locis se Episcopum Manfredoniæ nominaret: & sacris ordinibus carens, Missas quamplures, præsertim transferrere in Hispaniarum regnis, Pontificali-ter celebrare, ac quamplura beneficia vacantia conferre, ausus fuit. Dispensationes etiam concessit pro nuncio Sanctæ Sedis Apostolicæ se gerendo, & fratrem germanum prædicti Cardinalis Guastavilliani se esse jactando, donec fraude detecta, carceratus, ab Hispania ad Urbem captivus transmissus, in carceribus sanctæ, & supremæ Inquisitionis positus fuit, indeque fabricato, & perfecto ejus processu, pœnas luit, laqueo scilicet deaurato suspensus, ut etiam de visu ipse testari possum.

Deinde ad nefariam, & sacrilegam similitudinem hominum temeritatem coercendam, qui ad sacrum presbyteratus ordinem minimè promoti sint, sacerdotis tamen auctoritatem sibi temerè assumentes Missarum celebrationem usurpare, & sacramentum pœnitentiæ ministrare audent, Clemens Papa VIII. motu proprio, & ex certa scientia, Sanctæ Inquisitionis judicium conscientiam consulere, & ne in futurum de pœna hisce delinquentibus imponenda dubitari possit, providere volens, sua perpetuè valitura constitutione decrevit, atque statuit; ut quicumque non promotus ad sacrum presbyteratus ordinem repertus fuerit Missarum celebrationem usurpasse, vel sacramentum pœnitentiæ ministrasse, ab iudicibus Sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam ecclesiæ misericordia indi-

gnus, à foro abijciendum esse statuit, & ab ordinibus ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè degradatum, statim curiæ seculari per iudices seculares debitis pœnis plectendum tradi mandavit, ut in litteris sub die prima Decembris 1601. desuper expeditis.

Secundò, † Missa notæ, nisi à jejunis sacerdotibus debet celebrari, quod fuit decisum in conc. Carth. ut in c. *Sacramenta de consecr. distinct. 1.* qui post cibum, vel potum etiam minimum, divina celebrat, est excommunicatus, c. *nihil, d. nullus, 7. quest. 1. Hostiens. in sum. §. & qualiter jejunio, nu. 13. de consecr. Eccles. vel Alta.* † Ebrivus verò non præmissa digestionem celebrans, est beneficio privandus cap. *si constiterit, de accus. & ibi Abb. num. 1.* non tamen alias solum propter ebrietatem potest quis beneficio privari, ut ibi Abb. numer. 3.

Tertiò † majori excommunicatione excommunicatus, vel interdictus, aut ab homine à divinis suspensus Missam celebrare prohibetur, & celebrans depositionis pœnam incurrit, cap. *penult. 11. quest. 3. c. clerici, cap. latorcs, de cler. excom. ministr.* & ibi Abb. num. 1. & Host. in sum. numer. 1. *vers. excommunicatus igitur, edemtit.*

Quartò, sacerdos regulariter unam tantum Missam in die potest celebrare. *sufficit, de consecr. distinct. 1. cap. consult. isti, cap. te referente, de celeb. miss. & contrafaciens mortaliter peccat. Navar. capit. 25. numer. 87. tom. 3.* Quæ regula limitatur per eundem Navar. ibi in septem casibus.

Primò, ut non † habeat locum in die Nativitatis Domini, qua tres dici possunt,